

## De sancto Ladizlao

(1) (f. 234ra) „**Rex sapiens stabilimentum populi sui est**” *Sap.* VI, (26). – In verbis istis sanctus Ladizlaus a duobus commendatur:

Ab excellenti dignitate, cum dicitur: „**Rex sapiens**”,

et ab efficaci potestate, cum subiungitur: [„**stabilimentum populi sui est**”].

Et pulchre ista duo coniunguntur, quia dignitas sine potestate parit ridiculum, potestas autem [sine] dignitate mittit contemptum. Propterea dicit *Eccli.* (7, 6): „Noli querere fieri iudex, nisi valeas” etc. In beato autem Ladizlao ista duo efficacissime claruerunt. Dignitatem enim habuit, quia „**rex**”, et potestate fulsit, quia „**stabilimentum populi sui est**.”

(1.1) Circa primum assignatur dignitatis ipsius ornamentum, quia „**sapiens**”. Sapientia enim est ornamentum excellencie, quoniam est rex sapiens et rex insipiens. Rex insipiens puer appellatur *Ecclesiaste* testante (*Eccl* 10, 16) qui ait: „Ve, terra, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt.” Rex sapiens nobilis appellatur, sicut legitur ibidem (*Eccl* 10, 17): „Beata terra cuius rex nobilis est.” Ad differenciam ergo regis insipientis beatus rex Ladizlaus sapiens dicitur, quia ipsius sapientia lucet in vultu magnalium suorum (cf. *Eccl* 8, 1), et potest in quattuor deprehendi:

(1.1.1) Primo, quia sapienter scivit suos defendere. Defendit enim tam ab hostibus corporalibus quam spiritualibus. Ab hostibus enim corporalibus per propriam miliciam dicens ad suos illud (I) *Mach.* (3, 58): „Accingimini et estote filii potentes” etc. Ab hostibus spiritualibus defendit per doctrinam evangelicam, quoniam per suam industriam copiose in suo regno fecit predicari.

(1.1.2) Secundo fuit sapiens, quia corpus spiritui scivit subicere sciens, quoniam si secundum carnem viveret, moreretur (cf. *Rm* 8, 4–6). Subiecit enim corpus suum spiritui per frequentem oracionem et carnis maceracionem. De frequenti ipsius oracione legitur, quod „vigilias noctis in ecclesiis excubans fatigatum corpus non ad thorum regale, sed in exedris ecclesiarum” refovebat.<sup>2</sup> „Carnem maceravit in duro lettisternio, quod adhuc ostenditur in ecclesia Waradiensis, (f. 234va) lectus scilicet lapideus et cussinus.” Hoc est quod dicitur in *Apoc.* (6, 2): „Ecce equus albus et qui sedebat super eum, habebat arcum et exivit vincens, ut vinceret.” „Equus albus” ipsius caro casta cui presidebat habens arcum in manu, id est fortem carnis punicionem. Qui „exivit vincens, ut vinceret”, tam hostes corporales quam spirituales. Unde „in quodam exercitu suo angelus super humerum ipsius residens apparuisse” dicitur, et merito, erat enim christus Domini, de quo mandavit angelis suis, ut custodirent eum.

(1.1.3) Tercio fuit sapiens, quia scivit mundi pompam contempnere, licet enim pompa seculari fulgeret, fiduciam tamen non in caducis rebus et vanis, sed in Domino Iesu Christo totaliter posuit, ipsius enim mundi divicias non congregare, sed aliis studuit erogare, videlicet pauperibus, ut orarent pro vita regis et pro pace plebis. Item militibus, ut susten[ten]tur et ad bellum exacuuntur. Item nunciis ad se venientibus, ut bono nomine intyuletur, hoc est quod dicit Salomon (*Eccli* 41, 15): „Cura sit tibi de bono nomine. Hoc enim magis permanet, quam thesaurus.” Et quia ista in beato Ladizlao claruerunt, propterea dicitur „**Rex sapiens**”.

(1.1.4) Quarto eciam fuit „**rex sapiens**”, quia scivit Dominum sollicite querere. Sollicite enim querebat Dominum, quod apparet in tribus.

<sup>1</sup> Wien, ÖNB Cod. 1369: sermonarium OP originis Hungaricae, ca. a. 1300. – (Madas–Horváth 2008, 118–120.)

<sup>2</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 17–18.

(1.1.4.1) [Primo] quesivit ipsum fideliter populum sibi commissum multiplicando et terminos christianitatis dilatando. Iuxta illud, *Iob* (29, 17): „Conterebam mollas iniquitatis, et de dentibus auferebam predam.”

(1.1.4.2) Secundo quesivit sagaciter omni tempore studens, qualiter pro Iesu Christo proprio sanguine rubricaretur. Propter quod „se voverat Ierosolimam iturum contra inimicos crucis Christi dimicaturus”.<sup>3</sup> Iuxta illud Pauli in *Act.* (21, 13): „Ego – inquit – non solum alligari sed et mori paratus sum pro Christo.”

(1.1.4.3) Tercio quesivit Deum finaliter in operibus iusticie usque ad terminum vite perseverans, sciens quoniam „qui perseveraverit” etc. (*Mt* 10, 22).

(1.2) „**Stabilimentum populi**” fieri meruit. Stabilivit enim populum tripliciter, scilicet

(1.2.1) [Primo] brachio contra hostes regni dimicando.

(1.2.2) Secundo patrocinio populum protegendo, quia quod [non] valebat facere proprio gladio, faciebat divino officio. Unde „in exercitu suo Bisennos persequenti cum cibaria defecissent, quod forte ad ostendendum meriti (!) sui sancti Dominus providerat, precibus apti certe (*f. 235ra*) non coturnitum volatilium (*cf. Nm 11, 31*), sed bubalorum, cervorum ac ceterorum animalium copiosa multitudo<sup>4</sup> non repugnans ictibus feriencium, pariter cum ipso ad exercitum Domini descenderent”.

(1.2.3) Tercio defendit merito sempiterno, quia coniunctus Domino Iesu Christo, regi potentissimo accepta ab ipso potestate valet et valebit in seculum seculi, habet enim rex Ladizlaus potestatem super omnia demonia, et ut languores curaret, cecos illuminaret et debiles quosque meritis propriis sanaret, et sic tam in presenti quam in futuro, tam in via quam in patria, tam militans quam triumphans iste „**rex sapiens stabilimentum est populi**”. Rogemus ergo beatum Ladizlaum, ut quia rex est sapiens, sapienter nos regat, in viam salutis dirigat, et suis meritis in vita eterna stabiliat. Amen.

---

<sup>3</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 521, 12–17.

<sup>4</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 520, 5–18.